



Kem 226 (A-78)

16

DISSERTATIO IN AVGVRALIS
DE
HEPATIS ABSCESSIBVS
A
LAESIONIBVS CAPITIS

QVAM
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS
ET
GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM INDVLTV

PRO
GRADV DOCTORIS CHIRVRGIAE

RITE AC LEGITIME CONSEQVENDO

DIE VIII. SEPT. AN. R. S. MDCCXLVI.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
SPECIMINIS LOCO

PVBLCAE ERVDITORVM CENSVRAE SVBMISIT

WILHELMVS RITSCH
POLONVS

POTENTISSIMI PRINCIPIS STANISLAI AVGVSTI POLONIA-
RVM REGIS ET MAGNI LITHVANIAE DVCIS CHIRVRGVS PRIMARIUS
REGIARVM ACADEMIARVM, PARISIENSIS CHIRVRGORVM, NEC NON
ROTHOMAGENSIS SCIENTIARVM SODALIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE
LITTERIS IOAN. IVSTINI GEBAVERI.



DISSESTITIO INVAGARIES
HEPATIS ABSCESSIBVS
LVSIONIBVS CAPITIS
GRATIOSI ORBINS MEDICORVM INDVLTA
GRADA DOCTORIS CHIRARGIAE
RTE AC HICITIME CONSILADIMO
IN VPLVM RFGIA TRLDEGICINA
STECIMINIS LOGO
SALVACE EUDICITIONVM CENAVATA SANCTIS
WILHELMVS RITSCH
EDITIONIS
TOTINTENSIVI PHEMOTII STAVISIA AVASTI TOLOMIO
CINONACENIS SEDIS AERIA
HALAE MAGDEBURGICAE
LITERIS IOAN. IAVITINI GESPATERI





DISSE^TRATI^O
DE
HEPATIS ABSCESSIBVS

A
LAESIONIBVS CAPITIS.



Eruditis, Gravibus et Expertissimis Viris, qui sedula indagatione in eum, quem tractandum suscipimus, affectum inquisiverunt, vi- sum est, eo nec alium cognitu et curatu dif- ficiorem esse, nec periculosiorem. Abdite enim facta in



Hepate, viscere nobiliori, sanguine naturaliter crassiori irrorato, secretioni bilis facile spissescens destinato, colluvies purulenta, latens, nullisque stipata symptomatibus, celerem ruinam toti minatur aedificio. Provida attamen, laboranti naturae, docti et prudentis chirurgi medica manus succurrere potest; quae si attemperate optuletur, mortis semina jamjam progerminatura elidet.

§. I

Hepar, obstructionibus, tumoribus, scirrho labrare non infrequens est: cum enim sit insigne colatorium, et sanguinem, copiosissima spoliatum lympha, ob alias, quibus inservivit, secretiones, reducem recipiat, non mirum, in tanta minutularum glandularum, seu glandulosorum acinorum abundantia, facile aliiquid posse obstrui, aut quemque modo vitiari. Quis est, modo artis salutaris primum limen salutaverit, cui ingenio et doctrina longe praestantissimi viri GEORG. ERNST. STAHLII ignota sit perutilis dissertatio de vena portae, plurimorum porta malorum? A laesionibus capitisi frequentem esse hepatis abscessum in confessu est. Quod AMBROSII PARAEI experientia stabiliverat (*a*), multorum observationes confirmant.

(a) oper. chirurg. lib. IX. de vulnerib. in specie cap. XII.

runt: nec antiquiori hepatis labe affectos fuisse **PARAEI**
 aegros, subdubitandum. In quacumque enim jecinoris in-
 temperie, quovis vitio labefactetur hepar, facies quodam
 pallore aut virore foedatur: ex **LOMMIO** color corporis,
 maximeque faciei, inter signa hepatis, praeter naturam se-
 habentis, principem locum tenet. Quos observavit **PA-**
RAEVS, florido et naturali faciei colore conspicui optima-
 utebantur valetudine, nihilque erat, quod a suspicione he-
 patici morbi praecedentis non avocaret, rogatque vir exi-
 mius, ut fides sit penes experientiam, accuratius, ut sui
 moris erat, consultam. **PIGRAEV S** (*b*) inter symptomata,
 quae capitis vulnera sequuntur, abscessum in jecore,
 indeterminata assertione annumerat. Sic et **BALLO-**
NIVS (*c*), „dicunt quidam, se observasse, in plerisque
 „eorum, qui a vulnera capitis insigni interierunt, absces-
 „sum in concava jecinoris parte. An id fiat, eveniatque
 „nescio; sed tamen a plerisque chirurgis id observatum
 „esse audivi;„ oculatioribus hac de re fidendum. Noso-
 comium Amstelodamense experientissimo chirурgo (*d*),

A 3

TOBO

(*b*) *De vulner. in specie* Lib. 4. cap. VIII.

(*c*) Appendix ad libr. de convolutionib. *oper. medic.* tom. I.

(*d*) *Observat. medico-chirurg.* II.



IOBO A MEEKREN exemplum exhibuit abscessus hepatis, fracturam crani secuti: vulnera cuiusdam capiti infixerat triplicia socius, quorum praecipuum in occipite occurrerat ad suturam lambdoideam, fractura crani, ubi fragmentum se demittit ad inferiora, sic ut sub osse integro abscondatur, stipatum. Separatione, cum successu, remotum fuit fragmentum. Ad diem usque vigesimum liber omnino aeger ab omni febre, convulsione, paralysi, sopore, vigiliis, vomitu, imo symptomatibus omnibus, quae frateris crani supervenire solent. At paucis diebus, antequam moreretur, de dolore gravi circa hepatis, ventriculique regionem conquestus est; suppressioni suppurationis in vulnera accedebat febris gravis cum delirio, et sic vigesimo octavo die obiit. Aperto cadavere hepar valde tumidum invenerunt, abscessu notabili correptum, ex quo puris ea effluxit quantitas, quam pinta dimidia vix continere poterat.

Inter observanda magni momenti in curatione vulnerum capitis, jecoris labem recenset PETRVS DE MARCHETTIS chirurgiae Professor Patavinus (*e*); in eo visceri

(*e*) *Obs. medico-chirurg. sylloge Obs. XV.*

scere variae pustulae excitantur, quibus disruptis materia purulenta copiosius effluit. Horum abscessuum meminere clariss. **BIANCHI** in historia hepatica; **MOLINELLI** ex anatomica inspectione, ut legere est in commentariis Academiae et instituti scientiarum Bononiensis; et **PAVLVS VALCARENIGHI**, Cremonensis, in regia Ticinensi universitate medicinae rationalis Professor primarius (*f*), **AMBROSIVS** que **BERTRANDI** Regis Sardiniae chirurgus primarius, chirurgiae Professor Taurinensis (*g*), cuius desiderio moerentes lugent anatomia et chirurgia; hunc enim abstulit atra dies et funere mersit acerbo.

§. II.

Variae sunt auctorum de collectione purulenta in hepate a laeso capite opiniones, ratione causae proximae. Copiosum pus ex capite ad inferiora viscera posse delabi, facta videlicet metastasi, persuasum erat **PETRO DE MARCHETTIS**. Hanc tritiorem rei explanationem arripuit autor historiae hepaticae (*b*); data imbibitione succi purulenti

(*f*) *De morbis hepatis; Epidemic. constitut. continuatio*, Cremonae 1742.

(*g*) *Memoires de l' Academie Royale de chirurgie Tom. III.*

(*b*) **BIANCHI** *Histor. hepatic.* part.2. cap. 5. n. 5.

lenti a sanguine in parte aliqua determinata, ut in capite,
 vagans inde commune hoc fluidum per corporis partes om-
 nes, majores hujus puris portiones despumet in viscere
 omnium maximo, omnibusque considerabiliore, uti he-
 par est; in quo longe majora, quam in aliis omnibus op-
 ponuntur vasa, longeque majores, quam in aliis partibus,
 eorumdem divaricationes; in quo levior, quam in aliis om-
 nibus, succorum omnium est concursus; in quo viscidius,
 quam in aliis omnibus, secernitur liquidum, quod ideo ob
 symboleitatem mixtionis, purulentam secum materiam per
 idem colatorium allicere a sanguine potest; in quo deni-
 que nulla jacet muscularis potentia, quae depositam, con-
 gestamque purulentiam repellat ad fluxum. Hactenus cla-
 rissim. **BIANCHI.**

Idem porro putare videretur **VALCARENghi** (i),
 si ulli specialiter auditorum sententiae faveret, sed diversas
 promiscue refert opiniones, dicens, quod si cuiquam non
 arrideant, potiorem ab ipso rationem expectaret; sic au-
 tem metastases a cerebro ad jecur tunc fieri facilius posse
 existimat, cum pus circumpositas cerebri venulas paula-

(i) *De hepatis phlegmonibus* lib. citato pag. 68.

tim subit, ab iisque cum tota massa sanguinis commixtum, quaquaversus per universum corpus divagatur (ut adaucta inde pari ratione symptomata testari satis possunt) atque in hepate specialiter consistit et accumulatur, ob peculiarem ejusdem structuram et molem.

Metastaseos doctrinam a vero alienam censet clars. BERTRANDI, cum hepar quandoque, affecto capite, in pus colliquatum fuerit observatum, in apoplexia, morbis comatosis, et aliis, ubi nullum puris indicium vel causa prostat in cerebro. Iam hanc materiei purulentae translationem a cerebro laeso ad hepar sanum exploserunt BALLONIVS et PAVLVS BARBETTE. Experientia observatum est, ut ait BALLONIVS libro *de convulsionibus*, in numeros a morbis cerebri post convulsiones et concussiones interiisse, quorum in cerebro per anatomen nil videre contigit, quod terrifici symptomatis causa exstitisset: et id plerosque fefellit, ratos, se aliquid effatu dignum reperiri posse in cerebro laborantium extinxitorum. Morbi cerebri habent quidpiam divinum, prodigo simile, ut ait HIPPOCRATES libr. *Epidemiorum*. Tunc se ipsum sciscitans



BALLONIVS, unde nam ergo in cavo hepatis abſeffus fiat? ſic respondet: quidam dicunt a cerebro per continuitatem membranarum internarum imperspicuarum ſenſim pus manare, et progredi, donec ad hepar pervenerit: id non eſt probabile. Afferam meam conjecturam, quando demonstrationem aut quidpiam demonstrativum huc adducere nequeo, deſumamque ex GALENO. Vulnerato cerebro membranisque affectis os ventriculi coafficitur, humoresque perturbantur, unde bilis vomitio. Si multa fit bilis evacuatio, ea ab abſeffu vindicare potest. Si pauca bilis evacuatio, et frequens eſt nauſea, aut quia aeger vomere non confuevit, aut quia bilis crassior, motu diſſicilis, et quodammodo incuneata, aut quia libertas meatuum non eſt, dum humor movetur et non excluditur, oppreſſionemque facit aliquam, potest in concauo hepatis colligi et inflammari, et praeter ſympomaticam febrem, quam excitat vulnus capitidis, eſſentialem febrem concitare. Hinc collectio, hinc inflammatio, hinc abſeffus.

Luculenter admodum hac de re dixit PAVLVS BARBETTE. Ab inquirente enim IOBO A MEEKREN, per
quas

quas vias purulenta materia ex cerebro deferatur ad hepar, quaestionem minus bene positam censet, respondens I. mirum inter omnes corporis partes esse consensum, qui quidem HIPPOCRATI maxime notus fuerit: nam in *coacis praenotionibus* cap.4. §. I. *capitis dolor vehemens cum febre aucta et alio signo maligno lethalis est: caeterum sine signo malo, viginti diebus transactis, sanguinis fluxum a naribus, aut abscessus ad infernas partes significat.* Aphorismorum Libr.6. aph. 50. *quibus praeceditur cerebrum, his febrem, et biliosum vomitum supervenire necessum est.* Quae antecessor allegatis locis docuerat, non solum confirmant GALENVS, ERASISTRATVS, MACROBIVS, sed et rationes addunt varias, a distributione varia nervorum, quorum ingens in ventre medio et infimo detur copia, maxime in ventriculi orificio superiore, seu sinistro, desumptas.

super 2. Pus idem copia, specie, a cerebro ad hepar defiri minime admittit laudatus au^rtor; collectionemque puris a vitiato sanguinis fluxu jam ante clariss. BERTRANDI oriri existimavit; sed multum tribuit nervorum sympathicis affectionibus, quas rejicit clariss. BERTRANDI, hasque



anatomiae omnino repugnare docet. Qui enim fieri posset, inquit, quin viscera quoque alia, quae iisdem occupantur nervis, eodem pacto afficerentur? ast amicissimi viri et in anatomicis versatissimi pace dixerim, certum esse experientia multiplici, multas partes ventris inferioris affici a laeso cerebro. Ex MOLINELLO refert ipse, stagnasse interdum saniem, in aliis partibus, cum hepar esset integrum. Superficies intestinorum, tenuiorum praesertim, quibusdam in locis, quasi ulcusculis cum multa sanie, et tuberculis quam plurimis huc illucque dispersis depravata erat. Sed PIGRAEVS loc. citat. afferit, capitis vulnera sequi abscessum in jecore aut mesenterio, qui fit a partium sympathia et societate, propter nervum sexta conjugatione ortum. Nonnulli in liene, ut MARCHETTIS, quidam in pulmonibus pus collectum observarunt. Unde nervorum sympathiae opposita ratio a clariss. BERTRANDI nulla est, cum multae aliae partes possint affici, reveraque afficiantur a laeso cerebro. Sed potens esse nervorum in hepar imperium quis inficias ibit, post mox allegatam HIPPOCRATIS auctoritatem, consensum inter utrumque viscus, cerebrum nempe et hepar, stabilientis; consideratis

item-

itemque naturae legibus? Icterum, derepente ab ira, timore, venenati animalis morsu, similibusque excitatum, nemo non observavit. Repentinus a laeso cerebro vomitus, non inveteratae visceris obstructioni, sed vasorum subitaneae constrictio non immerito assignandus, unde haud impropria regurgitatio bilis, ejusdemque in totum corpus suffusio. Liceat itaque cum IACOTIO inter causas abscessus hepatis a laeso capite admittere mutuum capitum et infimi ventris consensum. Ventriculo caput, et capiti ventriculum consentire arguento est delirium ex ventriculi bile, et ex capite vulnerato vomitus; quod HIPPOCRATES aphorismo superius citato exposuit. Nec modica est reliquarum partium, jecoris, lienis, intestinorum, imo totius corporis ad idem ventriculi os communio (k).

§. III.

Hactenus varias suppurationis in hepate a capite laeso caussas recensuimus, deducendas nimirum a sympathia nervorum, vel aggesta in viscere sanguinis copiosiori massa, huic continenda prorsus impari. Nunc signorum ha-

B 3 benda

(k) IACOTIVS, comment. in coac. HIPPOCR. Libr. 3. Sect. 2. n. 14.



benda ratio, et hoc opus, hic labor est, cum fere omnes, qui tam diri morbi observationibus ansam dederunt, jam perpetuusurgebat sopor. Judicio tamen certo quandoque, vel saltem praesumptivo, notanda venit hepatis suppuratio, tunc maxime pertimescenda, quando aeger, statim ab accepto vulnere, bilem viridem evomit, quod symptoma primarium nervosam arguit constrictiōnem; si deinde facies vel corpus flavescat, tumeant genae, jugula palpitant, doleantque hypochondria intenta. Primario affici potest hepar; eoque ob sanguinis stasin, ingurgitato, fieri inflammatio, quae febrim, quam secundariam vocant, pariet, suppurationis brevi nasciturae caussam et signum. Et haec erat felicis practici PARAEI sententia. Intento animo perpendendae etiam illustr. DE MARCHETTIS observations, quod semper alvi fluxus vulneribus capitis accedens, absentibus licet aliis symptomatibus, cerebri laesi signum sit, propter ejus scilicet consensum cum nervis, qui orificis ventriculi annexuntur, quorum ratione inferiorius laxatur, et alvi fluxus statim succedit. Saepissime observavit quoque, quod, quando in his vulneribus collum incipit dolere, parte potissimum postica et laterali, tunc

ma-

materia purulenta delabatur ad thoracis et abdominis cavitatem, quae longiori mora cum pulmones tum pleuram, aliquam nempe ipsorum partem erodat, ex quibus multa sanies emanet, quae postmodum ad abdomen defluat, cum jecoris, et lienis labe, in quibus varias pustulas excitet, quibus disruptis, perinde ac ex pulmonibus et pleura, ita et ex his materia purulenta effluat: quamvis hujus observationis ignari existiment, abscessus, obortos in his partibus, quorum ratione patientes moriuntur, non ex capitatis vulnere oriri, quod, ex capite copiosum pus posse ad inferna viscera delabi, non sibi persuadeant, prout in perilsque observavi, medium thoracis et abdominis cavitatem pure fuisse refertam; quam observationem multis, tum in theatro anatomico, tum in valetudinario S. Francisci demonstravi. Haec PETR. DE MARCHETTIS opinionis circa metastasim commentum dies delevit, naturae judicia ceteroquin confirmans.

Idem affectus ex clariss. BERTRANDI accidit, si vulneratus comatosus decumbat, stupidus, vaniloquus. Annon subdola ut plurimum formatio abscessus a comatofo et

con-



consequente insensibili aegrorum statu sit repetenda? vi-
deant aequi rerum aestimatores. Docte attamen obtusum
esse dolorem in viscerum inflammationibus, quando ipso-
rum massam occupant, statuit BERTRANDI; isque longe
obtusior erit in hujusmodi hepatis affectibus, quando ve-
nosum systema obstructione praecipue afficitur. Sed icte-
rici fiunt in omni casu vulnerati, quod signum, etiam si
abdomen in regione hypochondrii nec tumens, nec dolens
videatur, de formatione abscessus avertenda sollicitos nos
tenebit.

Sanguinis missiones e pedibus, instante hepatis morbo, cum clariss. BERTRANDI nocuas existimamus, cum ipse viderit non semel in hujusmodi casibus, post institutam in pede venae sectionum, aegros mox in icterum devenisse; similem casum multoties observavit clarissim. AVDOVILLE (¹) lucubrationi BERTRANDIANAE propriaeque experientiae innixus.

Re-

(1) *Mem. de l' Acad. Royale de chirurgie* Tom. III. pag. 506.

* * *

Rejecta saphenarum sectione gradum sistit BERTRAN-
DI, theoriam praesertim arripiens. Vrgentem educendi
sanguinis necessitatem, ad praecavendum imminentem he-
patis abscessum, nemo negabit; si cerebri laesi sympto-
mata proprias functiones perturbent, instituendae sunt inci-
siones e venis jugularibus, pro re nata iterandae, prae-
cipue e latere hemiplegiae, si adsit, opposito; ut exinde
hemisphaerium cerebri laesum liberetur: hoc nos docue-
runt VALSALVAE observationes, illustriss. MORGAGNI
commentariis illustratae. E venis brachiorum mittatur
sanguis, si adsint hepatis inflammati signa, vel futurae in-
flammationis allegata indicia, palpitatio nempe jugularium,
hypochondrii dolor, tensio, faciei color subflavus etc.
Faustum erit praefagium, si a venae sectionibus symptoma-
ta remiserint, hoc auxilio compescenda; tunc primarum,
ut aiunt, viarum evacuatio promovenda; sed leviter pro-
cedendum, ne ingravescant accidentia. Bonum utique, si
a purgantibus levioribus aeger levamen percepit, copio-
saeque ab eorum exhibitione sequantur dejectiones. Alter-
nis autem vicibus commendari primo possunt (cum jam ad-
fuerit purgandi indicatio) venae sectiones et alvi catharticae
promotiones

C

alte-



alterius sic

altera poscit opem res et conjurat amice
cui argumento est observatio **BALLONII** in constitutione
hyemali ann. 1570. nobili viro suppetra rhei usu alvus tu-
morem phlegmonodem totius abdominis attulit. Iterata
phlebotomia tumenti alvo occursum est. Sanguis erat icte-
ricus. Hic phlebotomiae praestantiam tamquam reme-
dium, et constipationem tamquam causam animadvertere
lubet. Sed de re controversa agens ex professo clarissi-
mus auctor, animi sententiam evolvit, quasi Aesculapio
dictante. „Accedit quod in vulneribus capitis negent
dandum pharmacum. Si daretur et evacuaretur bilis com-
mota et non exclusa, ab abscessu liberaretur aeger. Num-
quid in febribus essentialibus abscessus in concavo hepatis
fieret, nisi medicus daret operam purgationi? et quia
os compatitur ventriculi, natura suas suppetias mittit ad
eam partem obfuturas, quia non excluditur materia.
Phlebotomia et purgatio esset vindex ejus abscessus. Et
nuper in quodam, qui pugione vulneratus erat, tamen in
internam capacitatem vulnus circa nothas costas qua per-
tingit diaphragmatis extremum, non penetrarat, tamen

in

in hepate repertus est abscessus. Unde id? forte eodem modo quo in vulneribus capitis. **BALLON.** *append. ad lib. de convuls.*

Sunt et canones practici de raris affectibus jecoris in **BAGLIVIO**, et quidem maximi momenti. Alia est ratio medendi, si tantum de praecavendo abscessu agatur, alia in principio morbi; morbo vero progrediente alia iterum. Formatur lethalis ut plurimum. *Balnea, laetis serum, diaeta ab HIPPOCRATE commendantur* Sic autem fatur celeb. **BAGLIVI**, *praxeos lib. I.*

„Jecoris inflammatio aliquando similis pleuritidi, et medicos frequenter decipit similitudo. Differunt tamen, nam in hepatide dolor infra est, nec ad costas spurius extenditur: gravatus est, non pungitus: respiratio non multum laeditur, color faciei citrinus, tussis sicca sine sputo, pulsus non durus, faeces liquidae et subcruentae. Contraria fiunt in pleuritide.

Singultus hepatidi superveniens lethalis ex HIPPOCRATE.



Si inflammatio jecoris adsit in parte gibba, urgent symptomata pleuritica. Si in ejus cava, stomachica urgent.

Si ex usu nitri fixati praeparati, copiosa sequatur urina, bonum, in hepatide: nitrata in hepatide, et omnibus inflammationibus fere specifica sunt. Ideo serum latis juvat in inflammationibus, quia abundat nitro plantarum elicito per peculiarem digestionem, ac veluti destillationem e plantis in animalium visceribus.

Sicut in omnibus inflammationibus perniciosa sunt purgantia inflammationis causa, ita quoque in hepatide: at si apparatus maximus adsit pessimorum humorum in primis viis, tunc prudentiae medentis remittitur, de purgante determinandi: ne tamen purgans nimium turbet et exagitet, uti facit quando inflammatoria regnant accidentia: tunc ego deplere soleo vas a per sanguinis missionem, quae viam sternit purganti, ut felicius solvat, et agat in humores sine impetu.„

§. V.



§. V.

Huic dissertationi finem imponam casum referendo,
in quo, futurum longe prospiciens imminentis periculum
arcere potis fui.

Foemina viginti sex annos nata in terram projicie-
batur ab equo, infreno cursu quasi convolante. A semi
hora vulnerata erat cum accesseram, velut mortua jacebat.
Tegumenta in regione ossis frontis, et bregmatis sinistri,
contusione fortiori suggillata erant. Sanguis e naribus,
oculis, auribus, ore, effluebat. Mente prorsus capta, so-
pore profundiori afficiebatur. Post copiosiorem statim ce-
lebratam e brachio sanguinis missionem, oculos aperit, sen-
sum recuperat. Diligentius in eam inquirenti, claviculae,
et duarum primarum costarum lateris sinistri fractura mihi
innotuit. In nosocomium sancti spiritus, curae meae com-
missum, jubeo hanc transferri; compositisque ossium fracturis,
caput tonditur, suggillationibus fomentationes cephal-
icae resolventes opponuntur; iterantur e venis pedum san-
guinis missiones; sed incassum, sine sensu enim decumbe-
bat, ut ante primam venae sectionem. Quotidie duo vel
tria injiciebantur enemata; vixtus erat tenuis; aliquot iusculi

C 3

pate-



pateris interdum utebatur et ptisana tamarindorum cum
cremore tartari et nitro. Nono die somnolentia remitte-
re cepit et brevi convalescuit. Cum nulla erat solutio con-
tinui in calvaria , nullus consequenter fuerat trepanationi
locus. Febris, bilisque vomitiones aegram primis diebus
molestarunt. Commotum cerebrum fuisse, haemorrhagia ex
omnibus aperturis indicaverat. Cranium etenim ictu du-
plici percussum resistit; tota percussionis impressio commu-
nicatur cum partibus contentis, et oritur illa molesta et
tumultuaria agitatio, quae dicitur commotio, vel concussio.
Haec major vel minor juxta gradum renixus diversarum
partium, quae impetum sive impressionem recipiunt. Cum
osse resistunt ictibus in fronte; postica cerebri pars ossi occi-
pitidis impingitur; et ob renixum hujusce ossis cerebrum
excipit varias impressiones, ut praecepsis mechanices do-
cemur: secundum impulsiones directas vel obliquas, variae
sunt repulsiones; unde effectus commotionis in variis locis.
In minori quidem humores intra vasā premuntur, levem
capitis perturbationem, et oculorum caliginem statim pro-
ducunt, ita ut percussi, lumen multitudinem videre animo
conciipient. A vehementiori concussione fit sanguinis pro-
fusio

❧ ☈ ☧

fusio ab auribus, naribus, absque fractura cavitatum, ex quibus sanguis profluit. Succussioni cerebri quid auxilii afferendum? quies aegr: si nulla sit effusio in partibus internis, sanguinis detrac^tio, habita ratione virium, per venas juguli et brachii, imo et pedum, si nullum sit hepatis infarcti indicium. Primae viae a nimia humorum colluvie purgandae, non mochlicis, sed minorativis, decoctis aperientibus et solventibus. Vomitus graves, ventriculum sympathice affici annunciant; hinc metuendum iure, ne proximum hepar brevi ingurgitetur. Principiis obstandum, clysteribus, nitratis, una cum venae sectionibus ad men-
 tem **BALLONII** et **BAGLIVII** sanitati restituta fuit
 aegra, ab orci faucibus, ope artis salutaris,
 erepta.

T A N T V M.



1018

Tica



D

16

DISSERTATIO IN AVGVRALIS

DE

HEPATIS ABSCESSIBVS A LAESIONIBVS CAPITIS

QVAM

DIVINI NVMINIS AVSPICIIS

GRATIOSI ORDINIS

GRADV DOCTOR

RITE AC LEGIT

DIE VIII. SEPT

IN ALMA REG

SPECI

PVBЛИCAE ERVDIT

WILHELM

P

POTENTISSIMI PRINCIPIS S

RVM REGIS ET MAGNI LITHV

REGIARVM ACADEMIARVM, P

ROTHOMAGENSIS

HALAE M.

LITTERIS IOAN.

